

borum proprietate et energia, ad veritatem aliquam, nondum de fide certam, persuadendam desiderari possint. Maxime cum ille sensus talium testimoniorum sit consentaneus expositionibus Patrum, qui illa exponendo attigerunt. Cumque opposita sententia nullum in Scriptura habeat fundamentum, ut etiam defensores ejus fatentur, negari non potest quin hæc sententia quam defendimus, valde probabiliter ex Scriptura colligatur. Accedit tandem quod contraria sententia nihil ex Scriptura, nisi quædam generalia principia, non ad suam opinionem suadendam, sed ad nostra fundamenta enervanda, potest inducere. Qualia sunt, quod Deus interdum ac sæpe loquitur de futuris effectibus juxta dispositiones causarum secundarum, etiamsi aperte id non explicet, ut notat D. Thomas, 1 part., quæst. 19, artic. 6, ad 2, ex Isai. 38, et 2. 2, quæst. 171, artic. 6, ad 2, ex Jonæ 3, et Jerem. 18. Et idem sumitur ex Jerem. 23; Ezechiele, secundo et tertio; Genes. 3; Exod. 23; Deuteronomii quarto et septimo. Unde suadere volunt omnia allegata testimonia posse hoc modo exponi: præsertim cum addatur particula *forte*, quæ, licet in aliquibus locis non sumatur in significatione propria, nihil vetat in aliis proprie sumi, et consequenter ita posse in prædictis locis exponi.

20. Sed hæc, quæ (ut dixi) generalia sunt, non recte applicantur. Ut enim verum sit Deum interdum loqui de futuris juxta dispositionem causarum secundarum, non est id pro libito applicandum ad quamcumque prædictionem futurorum, alias destruitur certitudo prophetica, juxta doctrinam Augustini, libr. de Unitat. Eccles. capite 9, et lib. 3 de Doctrina Christiana, cap. 10. Oportet ergo et locorum circumstantias, et doctrinas, ac expositiones Patrum observare. Illum ergo modum loquendi observat Deus, vel in prophetiis comminatoriis, vel in effectibus qui a sua voluntate et ex aliis promissionibus ab ipso factis pendent, ut supra declaravi. Sæpe item invenietur ille modus loquendi in verbis Dei, quæ non continent revelationem, sed admonitionem, consilium, aut reprehensionem, ut in multis ex locis allegatis videre licet. Et in eis sæpe additur particula *forte*, in omni proprietate intellecta. Hæc autem non possunt accommodari ad testimonia a nobis adducta, tum quia in illis continentur revelationes divinæ cum absoluta asseveratione, et sine circumstantiis quæ subintellectam conditionem

vel improprietatem indicent. Nec particula *forte* semper addita est, et non est dubium quin sæpe adjungatur ubi de rebus certissimis et indubitatis sermo est, ut Psalm. 80: *Si populus meus audisset me, forsitan inimicos illorum humiliassem*. Et Jerem. 6: *Eru-dire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te*. Et docent Patres supra citati, ex quorum doctrina hæc proprietates melius servatur in locis allegatis, ut ostensum est.

## CAPUT III.

PLURES EX SANCTIS ET ANTIQUIS PATRIBUS SCIENTIAM CONDITIONATAM IN DEO COGNOVISSE, PRÆSERTIM AUGUSTINUM, ET NULLUM EORUM ILLAM DEO NEGASSE.

1. *D. Augustinus verbis probatur.* — Primum omnium tribuo sententiã hanc Augustino in lib. de Corrept. et grat., cap. 8, ubi, probans perseverantiam esse ex gratuito Dei dono, illos adducit in exemplum, qui, cum essent justii, *donum perseverantiæ non habent, sed ex bono in malum, deficiente bona voluntate, mutantur*; et addit: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime et insanissime dicitur*. In quibus verbis, illa, *an eorum mala futura nescivit?* evidenter de scientia conditionata intelliguntur, quia loquitur Augustinus de scientia, qua supposita, posset Deus, si vellet, rapere hominem, priusquam talia mala committeret, etiam in sensu composito talis scientiæ, sicut fecit cum illo de quo Sapient. 4 dictum est: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*. At vero, semel supposita in Deo scientia absoluta futurorum, non potest cum illa scientia locum habere antecessens mors, priusquam talia committantur peccata, quia supponitur jam prævisa vita usque ad illud tempus.

2. *Non de probabili conjectura, sed de certa scientia est locus citatus.* — Loquitur ergo Augustinus de scientia conditionata, et dici non potest ipsum loqui tantum de probabili conjectura ob pericula hujus vitæ; tum quia expresse interrogat *an eorum mala futura nescivit?* utique si viverent; de ipsis ergo futuris malis loquitur; tum etiam quia sola pericula vitæ præcognita, nisi etiam lapsus oc-

casione illorum futuris prævideatur, non poterant esse sufficiens ratio rapiendi justum, priusquam malitia mutaret illum, alias omnes justii, statim ac justificantur, rapi debuissent, quia omnes in tali periculo versantur. Quod si hoc restringatur ad speciale periculum in quo lapsus probabilissima conjectura timeatur et in tali causa cognoscatur, sic non potest doctrina esse universalis: nam multi justii cadunt, qui non habent specialia pericula, sed facillime occurrentibus tentationibus cedunt. Ergo non præcedit illa conjectura specialis, quod essent lapsuri si viverent, nam multi, et fortasse plures similes, perseverant semper in gratia inter similia pericula, et similia etiam gratiæ prævenientis auxilia, ut inter religiosos maxime considerare licet; et nihilominus de illis verissime dicitur quod Deus, præsciens ipsorum lapsum, potuisset, si vellet, eos rapere, ne malitia mutaret intellectum eorum. Nam doctrina Augustini universalis est, et in omnibus qui de bono in malum mutantur, et ita pereunt, locum habet. Eo vel maxime quod est valde alienum a doctrina et mente Augustini, scientiam conjecturalem Deo tribuere, ut ex tract. 35 in Joannem allegavimus. Loquitur ergo de certa scientia talium futurorum, quæ sola et Deo digna est et propria; nam aliam conjecturalem in causa etiam dæmon habere potest; imo si de omnibus periculis vitæ sermo sit, etiam nos illam habemus. At Augustinus aliquam scientiam Deo attribuit singularem, et illi propriam, quæque ad altissimam ejus providentiam et prædestinationem sufficiat. Igitur de incipientia huic scientiæ contraria, æque ac de impotentia, ait Augustinus *non nisi perversissime et insanissime Deo attribui*. In quo ego nihil ex me assero, sed solum quod Augustinus dicit refero; qui autem Deo illam nescientiam tribuunt, excogitent modum quo sub Augustini censura non comprehendantur, eum exponentes altero ex duobus modis quos impugnavimus.

3. *Augustinus constans semper fuit in conditionata scientia.* — Secundo, allego August. in Epist. 49, quæst. 2, ubi, inquirens cur Incarnatio tali tempore facta sit, rationem reddit ex hac præscientia, dicens *tunc voluisse in hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri*. Respondent aliqui retractasse Augustinum locum hunc in lib. de Prædest. Sanct., c. 9. Ego vero dico non solum non retractasse, sed

potius confirmasse. Sunt enim in hac scientia duo distinguenda, quæ pro his quæ dicemus sunt valde notanda, scilicet, eam esse vel non esse, vel, supposito quod sit, ea uti ad reddendas rationes aliquorum effectuum providentiæ Dei: nam licet verissime Deo talis scientia tribuatur, errari potest in usu ejus. Augustinus ergo in posteriori loco retractat aliquo modo priorem, quoad usum illius scientiæ, non quoad existentiam ejus in Deo, imo hanc iterum confirmat; verba enim ejus sunt: *Cernitisne me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant questionem sufficere videretur? Quid enim est verius quam præscisse Christum, qui, et quando, et in quibus locis in eum fuerant credituri?* In his ergo verbis recognoscit Augustinus Deum habere illam scientiam, et non solum verum id censet, sed etiam nihil verius judicat. Addit tamen potuisse etiam dici *tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*. Per quæ verba non reprobat priorem sententiam de scientia Dei conditionata, imo nec priorem rationem simpliciter retractat, sed aliam altiore addit, causamque assignat cur illam omiserit.

4. *De veritate scientiæ conditionatæ, non de absoluto decreto sermo est.* — Hinc vero sumunt occasionem respondendi, admisisse quidem Augustinum in utroque loco illam scientiam, sed in posteriori loco declarasse talem scientiam fundatam fuisse in absoluto decreto voluntatis Dei, quo tales homines tali tempore futuros prædestinaverat. Sed de hoc puncto postea dicendum est; nunc enim non de modo, seu medio quo scientia illa videt futura, sed solum de veritate ipsius scientiæ tractamus. Expendimus autem alia verba in eadem epistola Augustini, quibus illa responsio accommodari non potest; subjungit enim: *His enim temporibus et his locis in quibus Evangelium non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed multi in corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt; et infra: Quid ergo mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis vocerat, ut eis apparere aut prædicari merito nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* Et similia in fine repetit. At



de his dicere non possumus Christum noluisse venire, aut Evangelium prædicari, quando vel ubi sciebat esse, quos ipse ante mundi constitutionem ad non credendum elegerat; tum quia Deus non subtrahit illis auxilium qui non sunt illo bene usuri; tum etiam quia Deus ex se neminem eligit ad non credendum, vel ut damnetur; ergo saltem hæc præscientia mali usus gratiæ, si detur, non potest resolvi in electionem Dei, ut capite sequenti latius ponderabo.

5. *Responsio impugnatur.*—Scio non defuturos qui respondeant reduci in non electionem; itaque, eo ipso quod Deus scivit se non elegisse illos, scire potuit illos non consensuros, vel male usuros vocatione gratiæ. Sed hoc non potest satisfacere, quia si sit sermo de non electione mere negativa, illa non est decretum Dei liberum, sed carentia decreti liberi, quæ non est operativa ad extra: unde non potest efficaciter determinare liberum arbitrium, ut propterea in ea infallibiliter sciatur quid esset sub tali conditione futurum a libero arbitrio. Si vero sit sermo de positivo proposito non eligendi, illud etiam propositum, cum solum habeat pro objecto negationem alterius propositi Dei, nihil etiam ad extra operatur, quia per illud nihil ad extra vult Deus; solum ergo quasi formaliter excludit a voluntate divina liberam electionem talium hominum: ergo de se relinquit æque indifferens liberum arbitrium eorum; ergo non potest in tali decreto infallibiliter cognosci futura determinatio libera voluntatis hominis. Necesse est ergo ut dicant, eo ipso quod hominem non prælegit, vel vult non prælegere, velle efficaciter determinare illius voluntatem ad actum fidei vel pœnitentiæ contrarium, aut certe velle ex se non dare illi prædeterminationem ad volendum credere aut pœnitere, sine qua impossibile est ipsum credere aut pœnitere in sensu composito. Quot vero incommoda hinc sequantur, in capite sequenti insinuabo, et ex professo in libro 5 tractabo.

6. Tertio, affero Augustin. in libr. de Dono persever., cap. 9, quem locum cap. præced. tractavi, expendendo verba Matth. 11: *Si in Tyro et Sidone, etc.*, quæ de hac scientia manifeste exponit Augustinus; ultra id vero utitur ibi eadem scientia ad explicandum mysterium divinæ prædestinationis, et divinæ etiam permissionis circa multos, qui, cum uno tempore justi fuerunt, tandem damnantur; et imprimis de illis ait potuisse Deum,

vel non permittere ut ita tentarentur, vel per gratiam ita illorum voluntates munire, ut tentationes superarent. Deinde vero addit: *Ut ergo id non dicam, certe poterat illos Deus, præsciens esse lapsuros, antequam id fieret auferre de hac vita, ubi particula præsciens de conditionata scientia est intelligenda, scilicet, præsciens esse lapsuros si viverent, ut probavi; quia si præscientia absoluta supponatur, jam non potest retrocedi (ut sic dicam), auferendo de vita, antequam peccet, eum qui jam supponitur prævisus, et vivens, et peccans pro tali tempore. Deinde eandem præscientiam supponit ibi Augustinus, cum ait magna absurditate cogitari, *judicari homines mortuos, etiam de his peccatis quæ præscivit Deus perpetratos esse si viverent*, ubi nunquam dicit Deum non habere illam scientiam, sed illam supponendo, illum abusum reprehendit.*

7. *Non explicatio Evangelii, sed sententia proponitur Aug.*—Neque solum scientiam ipsam supponit, sed etiam expressis verbis affirmat, et verbis Christi probat dicens: *Numquid possumus dicere Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum illis ipse Dominus attestetur quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum signa virtutum*; ubi jam non expendo sensum verborum Christi, sed solius Augustini sententiam propono; expresse enim testatur illum effectum sub tali conditione futurum infallibili scientia fuisse a Christo cognitum. Denique in capite decimo refert evasionem eorum qui dicebant præscivisse Deum non solum futuram fidem Sidoniorum, si vocarentur; sed etiam prævidisse postea negaturos fuisse fidem, et ne propterea gravius punirentur, ideo illos non vocasse. Ipse autem non negat talem scientiam, quod erat facillimum, si falsum esse crederet quod illi supponebant; non tamen id facit, sed acute replicat, si Deus ex tali præscientia non vocavit illos ne tandem gravius punirentur, eo ipso sequi Deum non judicare hominem ex malis quæ facturum absolute non est, licet de illo præsciat id fuisse facturum, si talis vel talis conditio permetteretur: et ita semper invenitur in illum talis scientiæ abusum, nunquam autem in ipsam scientiam.

8. *D. Augustinus eandem scientiam Deo prædestinanti ante decretum tribuit.*—Quarto, eandem scientiam attribuit Augustinus Deo in lib. de Grat. et lib. arb., cap. 23, ubi, in-

ter mysteria divinæ prædestinationis, ponit *illum baptizatum parvulum in hac vita relinqui, quem præscivit Deus impium futurum; alium vero baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectum ejus*: nam cum de illo priori dicit præscivisse Deum impium futurum, necesse est intelligi de præscientia antecedente deliberationem (ut sic dicam) an talis parvulus relinquendus sit in hac vita, necne? Nam priusquam Deus decrevisset illi vitam concedere, jam præsciebat illum futurum esse impium, alias nullum mysterium ad prædestinationem pertinens in eo inveniretur, quod Deus permetteret illum vivere, quia non cum præscientia peccati id decerneret, sed potius quasi ignorans pro illo signo, quid ille esset postea futurus: ita ut, respectu scientiæ Dei, quasi a casu sequatur peccatum ex tali vitæ concessione: ergo ut ibi sit admiratio prædestinationis, seu providentiæ divinæ, quam Augustinus suscipit, necesse est ut loquatur de præscientia antecedente, secundum rationem, decretum de concedenda vita tali puero: ergo necesse est ut de præscientia conditionata loquatur; quia ante decretum de vita tribuenda non potest ipsa vitæ diuturnitas seu duratio per absolutam scientiam prævideri, cum pendeat ex decreto Dei: ergo multo minus possunt per absolutam scientiam præsciri peccata in illo vitæ tempore committenda; ergo necesse est loqui de scientia conditionata, utique sub illa conditione, si in vita conservetur, et cum his vel aliis auxiliis relinquatur.

9. *De præscientia certa, non de generali vel speciali periculo agit Augustinus.*—Neque etiam hic potest dici esse sermonem de præscientia periculi, et non ipsius impietatis futuræ, ut facile ostendi potest discursu facto in primo testimonio, quia, si sit sermo de generali periculo cum quo omnes nascimur et vivimus, in eo nullum est peculiare mysterium, cum ratio generalis providentiæ postulet ut, non obstante illo periculo, homines juxta cursum et exigentiam generalium causarum vivere sinantur. Si vero sit sermo de speciali periculo, illud non semper invenitur in omnibus baptizatis in pueritia, qui postea impie vivunt et moriuntur cum solis communibus occasionibus et periculis, et nihilominus in eis etiam habet locum admiratio Augustini, cur Deus, prævidens eorum impietatem futuram, reliquerit eos vivere: ergo necesse est ut loquatur de præscientia certa ipsorum malorum et effectuum in se, et non in solo antecedenti periculo. Omitto fugam illam alienissimam

esse a mente Augustini et aliorum sanctorum, qui ita loquuntur de hac præscientia Dei, sicut de præscientia omnium aliarum rerum absolute futurarum, ut in aliis locis citatis aperte declaravit Augustinus in tertio testimonio proxime citato.

10. *Augustinus variis in locis pro nobis est.*—Ultimo, addo omnia loca Augustini, in quibus vocationem efficacem congruam seu secundum propositum, altam, atque secretam per hanc conditionatam scientiam explicat, quia nimirum Deus prævidet quæ inspiratio seu vocatio tali voluntati ita congrua et apta sit, ut ab ea sit infallibiliter acceptanda. Illa enim præscientia conditionalis est manifeste, nam antecedit voluntatem dandi vocationem, ut ipsemet Augustinus supponit; unde necessario includit hanc conditionem, si hæc voluntas ita vocata fuerit, consentiet, et ex suppositione talis præscientiæ Deus vult dare talem vocationem. Hæc doctrina habetur sæpius repetita et fuse declarata in Augustino, quæst. 2 ad Simplician.; de Prædestinat. Sanctor., cap. 16 et sequentibus; de Dono persever., c. 8 et 14; de Spirit. et litter., cap. 34; epist. 107, ante medium, et aliis locis in lib. 5 late tractandis.

11. *Curiel respondet et ad hominem objicit.*—Ad hæc testimonia respondet Magist. Curiel, negando hanc vocationem, ut congrua sit, fundari in dicta præscientia, quia infallibilitas consensus, futuri a voluntate sic vocata, non potest provenire ex directione talis scientiæ; quod probat ad hominem contra nos, quia futurum sub conditione non ideo est futurum, quia Deus illud novit, sed potius ideo Deus illud novit, quia ipsum futurum est, ut nos postea dicemus: ergo non potest consensus infallibiliter conjungi cum tali vocatione ratione præscientiæ, nec potest provenire ex subordinatione principii proximi, scilicet, liberi arbitrii sic vocati, ad directionem hujus scientiæ. Probat consequentiam, quia alias dabitur vitiosus circulus, quia infallibilitas futuri consensus sub conditione talis vocationis erit ratio vel conditio necessaria ut talis scientia sit infallibilis, et e converso infallibilitas futuri consensus ejusdem consensus sub hac conditione provenit ex directione talis scientiæ: unde addit hic auctor illam infallibilitatem provenire, aut ex vocatione ipsa, et aliquo modo speciali illius, aut ex efficaci voluntate vel intentione Dei habentis ita sibi subordinatam et subjectam humanam voluntatem, ut infallibiliter obsequatur modo suo, et salva libertate.



12. *Scientia conditionata divinam etiam vocationem præcedit secundum rationem, quod non inficiatur Curiel.*—Sed imprimis undecumque talis infallibilitas proveniat, negari non potest quin, ex sententia Augustini in dictis locis, scientia conditionata talis consensus futuri a tali voluntate, si ei talis vocatio detur, omnino infallibilis et certa præcedat in Deo secundum rationem ad voluntatem dandi homini talem vocationem, quod nunc solum tractamus; nam de modo aut medio quo illa scientia potest esse infallibilis, postea dicturi sumus. Et quidem quod illa infallibilitas, si perfecta sit, ut in scientia Dei esse debet, talis ut implicet contradictionem illi subesse falsitatem, tanta (inquam) infallibilitas non potest in sola vocatione, sive sola, sive cum his vel illis conditionibus antecedentibus ad consensum fundari; quia esset infallibilitas in causa, quæ non potest non fundari in efficacitate vocationis et causæ ad determinandam antecedenter voluntatem ad unum, ita ut non possit resistere, et ita non potest non tollere libertatem, nec movere voluntatem modo suo, d est, modo libero, quia indifferentia libertatis cum tali determinatione antecedente repugnat, ut ex dictis in præcedenti prolegomeno convinci potest, et in libro quinto latius est ostendendum. Ubi etiam ostendemus, ex eodem principio, illam infallibilitatem futuri consensus, si talis vocatio detur, non posse fundari in proposito Dei antecedente, et omnino efficaci, quia, quomodocumque cogitur infallibilis et inseparabilis consecutio humani consensus ex illo proposito divino, ex vi solius causalitatis et efficacitæ talis propositi divini, non potest talis consensus liber ab homine præstari, sed tantum voluntarie, quod, ut dixi, in dicto lib. 5 longo discursu probandum a nobis est, et in sequenti capite aliquid necessario erit dicendum.

13. *Augustinus locutus de scientia qua Deus infallibiliter omnes animarum eventus attingit, et gratis quod vult eligit.*—Relinquitur ergo necessario dicendum esse, locutum esse Augustinum de scientia per quam Deus veritatem ipsam in omnibus rebus infallibiliter attingit, quam intuens, gratis decernit dare suis electis vocationes illas quas prævidit habituras esse effectum, id est, habituras effectum inducendi voluntatem electorum ad consensum, si illis tribuantur. Neque video quam vim habet ad hominem contra nos objectio facta. Respondemus enim concedendo antecedens, nimirum, Deum scire illam conditionalem esse veram, quia vo-

luntas hominis cum tali vocatione ita determinanda est, et non e converso. Circa consequentiam autem advertimus committi æquivocationem, quam statim explicabo: nam licet consecutio nostri consensus non fundetur in illa scientia, nihilominus, in executione, verum est infallibilitatem divini propositi absoluti posse fundari in illa scientia non tanquam in causa, sed tanquam in conditione necessaria, ut divina voluntas, nec feratur in incognitum, nec sine certo et infallibili medio absolute intendat aliquid; quod esset contra divinam sapientiam et prudentiam. Unde attente est cavenda æquivocatio quæ in argumento committitur, transeundo tacite a proposito absoluto Dei ad consensum humanæ voluntatis. Nos enim non dicimus consensum voluntatis humanæ infallibiliter esse conjungendum tali vocationi ratione præscientiæ, nam illa conjunctio semper supponitur futura ex parte objecti ex libera determinatione voluntatis creatæ cum divino auxilio in dicta conditione incluso. Sed dicimus ex parte voluntatis divinæ requiri cognitionem illius futuri sub tali conditione, et quod cognitio illa sit infallibilis, ut possit voluntas Dei determinari absolute ad volendum ut homo credat, et ut habeat auxilium cum quo efficaciter operaturus est. Quapropter cum in argumento subinfertur: Ergo non potest consensus infallibiliter conjungi vocationi ratione præscientiæ, nec ex directione illius, facile potest totum concedi, quia non est contra nos, nec ad causam refert, quia nihilominus potest illa præscientia esse necessaria ad directionem suo modo voluntatis divinæ, ut possit dare congruam vocationem cui vult, et quem vult præeligere ad credendum, verbi gratia, quia jam habet in sua præscientia medium infallibile, quo suum propositum exequi potest. Et ita nullus circulus committitur, quia infallibilitas futurationis nunquam in re provenit ab hac scientia; sed solum, secundum ordinem rationis, absolutum decretum Dei provenit ab hac scientia, tanquam a proponente voluntati divinæ objectum tali proposito accommodatum. Et hæc sine dubio fuit mens Augustini in citatis locis.

14. *Eadem veritas probatur ex aliis Patribus.*—Secundo, principaliter probatur eadem veritas ex aliis Patribus. Et imprimis affero quos supra citavi circa testimonium Matth. 11, quibus addo Prosperum ad Excerpta Genuens. respons. 8, ubi sic ait: *De Tyrriis et Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non*

*esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa viderent; et subdit inferius: Nos autem, etiamsi rationem facti et profunditatem judicii ejus penetrare non possumus, manifestissime tamen scimus et verum esse quod dixit, et justum esse quod fecit.* Neque video quomodo ad tam clara verba Prosperi possint verisimiliter applicari evasiones quas supra circa ipsa Christi verba retulimus et refellimus. Et eodem modo possumus pro hac parte allegare Anselmum, Remigium et Abulens., Matth. 11, nam, exponentes verba Christi modo supra dicto, hanc scientiam in Deo esse supponunt. Item Anselmus, Matth. 6, exponens verba illa orationis Dominicæ, de hac scientia loquitur, cum ait Deum *per dulcedinem dare gratiam* (utique vocationis, vel auxilii) *ei quem scit non consensurum.* Simili modo Beda, Act. 16, reddit rationem cur Paulus et socii vetiti sunt prædicare verbum Dei in Asia, ut ibi dicitur: *Quia sciebat* (inquit) *contempturos verbum Dei;* et quod ad præsentem causam attinet, similem rationem reddit Oecumen. dicens: *Quia præscivit contra Spiritum sanctum pugnantium hæresim ibi esse dominaturam.* Et similem doctrinam habet Gregorius, homilia 12 in Ezechielem, et homilia 4 in Evang., et Origen., homil. 9 in Levit.

15. *Nemesius optime de conditionata scientia nos docet.*—Præterea Nemesius, lib. de Nat. hom., c. 44, § *Euripides*, in fine, uti Deum hac scientia ad perfectam providentiam satis aperte docet, dicens: *Providentia res humanas, non solum ex his quæ sensibus notantur, sed etiam ex sua et propria præcognitione, administrat.* Hoc autem intelligi de præcognitione conditionata declarat, dicens: *Cum enim Deus non nesciat bono viro expedire pauperem esse, ejusque sensum opes, si dentur, depravaturas, utiliter eum in paupertate sinit vivere. Ac qui opulentus est, sæpe importuniorum fore videns, si egeat (ad latrocinandum enim, aut alia quedam gravia facinora animum adjuget), potiri illum opibus permittit.* Et concludit: *Nos enim nihil rerum venientium præsentientes, et ea quæ instant tantum expectantes, non recte de his quæ in rebus humanis eveniunt, judicamus. At Deo etiam futura tanquam præsentia sunt.* Quæ ultima verba de eadem præscientia conditionata de qua expresse fuerat locutus, sine ulla tergiversatione intelligenda sunt, et de eadem ait longe esse ab hominibus, et ideo nos sæpe amare illa et

procurare quæ habita futura nobis sunt in ruinam, quia præscire non possumus quid eventurum sit, si illa obtineamus, quæ conditionata scientia est; de Deo vero ait etiam hæc futura illi esse præsentia. Et revera hic videtur communis sensus et conceptus hominum, præsertim de Deo et de seipsis. Nam, quia fideles ignorant an divitiæ, vel scientia, vel dignitas, aut quid simile, illis futura sit occasio peccandi, ad Deum accedunt orantes, ut si ea de causa peccaturi sunt, talem statum vel conditionem ab eis avertat, supponentes profecto non ignorare Deum quid ipsi acturi sint, si in tali munere vel statu constituantur; neque ita orant præsumentes de Deo conjecturalem cognitionem, quam dæmon vel etiam ipse homo ex parte habere potest, sed magna fiducia orant, nihil de certissima præscientia divina dubitantes. De præscientia (inquam) quæ præcedit absolutam futurarum rerum dispositionem, et quæ potest esse ratio sic vel aliter de eventibus absolute futuris disponendi. Nam quia nos uti illa non possumus ad nostram providentiam, quia, ut dicitur Ecclesiast. 7: *Ignorat homo quid conducat sibi in vita sua,* ideo ad Deum accurrimus, quem omnia talia futura scire non dubitamus. Inde enim videtur illa oratio profecta: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te,* 2 Paralip. 20.

16. *Cyrilli subtiles quæstiones de præscientia conditionata.*—D. Damascenus satis aperte de conditionata scientia loquitur. Præterea est egregium Cyrilli testimonium ad idem confirmandum, libro nono in Joanne, capite decimo, ubi varias movet quæstiones, cur Deus, futurorum præscius, hoc vel illud faciat, quæ non possunt nisi de præscientia conditionata intelligi. Prima est: *Si omnia scire Christus creditur, cur Judam, qui futurus erat proditor, elegerit:* cui, multis aliis propositis, respondet: *Quia multa similia occurrunt, si de his quæ a Deo facta sunt ita velimus inquirere; unde ait: Quid enim prohibebit incusare Deum, ac dicere: Cur in regem Saulem elegisti, quem sciebas gratiam tuam esse sprethurum? Imo cur primum a terra hominem formasti, quem non ignorabas mandata tua non servaturum? Ascendet hæc oratio etiam in superiora. Cur enim Angelorum naturam creasti, cum ut Deus prævideris futuram nonnullorum rebellionem?* Ad quas quæstiones non respondet negando talem scientiam in Deo, sed, illam supponendo, ex libertate arbitrii et aliis cau-